DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ENTERITIDE:
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS FARQUHARSON,
Scotus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXIII.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE.

AUCTORE FRANCISCO FARQUHARSON.

Morbus de quo scribere in animo est, optimo jure sibi attentionem vindicat, sive severitatem, sive frequentiam consideramus.

Cum nihil novi habeam quod dicam; hanc pestem, quam accurate brevissimeque potero describere conabor.

MORBI DEFINITIO.

Cullenus celeberrimus sic morbum definit: "Pyrexia typhodes, dolor abdominis "pungens, tendens, circa umbilicum tor- "quens, vomitus, alvus pertinaciter ad- "strica." Sed melius fortasse hunc morbum descripsisset; si, vomitu alvique duritie omissis, dolorem tactu auctum fuisse dixisset; cum haec tantum ad speciem primam spectent.

Species duae hujus morbi sunt, prima, Enteritis Phlegmonodoea dicitur, secunda vero Erythematica; sed ad priorem tantum animum intendere volo. Sic definitur, Enteritis (phlegmonodoea) dolore acuto, pyrexia vehementi, vomitu et alvo astricta.

DE MORBI HISTORIA.

ENTERITIS rigore quanquam levissimo saepe, tamen diarrhoeâ interdum incipit; quae signa subsequuntur dolores colici. Febris initio quidem lenis, postea vero gravior exardescit, dolorque saevus tactu plurimum auctus, totum abdomen occupat, qui praecipue regionem umbilici colique caput infestans, indeque ad pubem vagans, aegrum distensionis sensu laborantem fatigat.

Alvus astricta, ructus, nausea, vomitusque plerumque adsunt; vomitus saepe naturalis invadit, aliquando vero bili, sanguine fusco et etiam in aliquibus exemplis faecibus, inquinatur. Pulsus admodum durus, parvus, veloxque est, et ita nonnunquam concitatur, ut centum et sexaginta, aut centum et septuaginta horae minuto aequent; sed interdum quamvis raro, tardior, plenus, mollisque sentitur. Doctoresque ABERCROMBIE

et PEMBERTON nos etiam docuerunt, in nonnullis exemplis, pulsum omnino secundum naturam fuisse, quam quidem sententiam verbis sequentibus exprimit ABERCROMBIE: "Extensive and highly dan-"gerous inflammation may be going on "with every variety of the pulse." Lingua alba aridaque est, cujus pars media interdum muco fusco obducitur. Spiritus concitatur, anxietas aegri vultum occupat; calor urens, sitisque insatiabilis urgent; urina rubra redditur, secretionesque, ut in aliis inflammationibus, plus minusve minuuntur. Vomitus perpetuo urgens, (qui quidem dicitur pendere ex intestinis tenuioribus inflammatis ventriculo proximis,) alvusque ex toto suppressa periculi summi signa sunt. Ingruente morbo ingravescit dolor, jactantur brachia, ructus tussisque dolorem multo augent. Interdum dolor mitior fit, sed nunquam ut in colicâ ex toto cessat; abdomen tumidissimum evadit, et spasmi saepe graves intestina torquent.

In exemplis aliquibus, inflammatio ex intestinis ad viscera thoracis, vel ad caput evolat; aliisque partibus non parcit. Interdum quarto die solutus est venter, sed quinto alvus astricta iterum fit, exemplis vero in multis dejectiones aquosae, viridesque redduntur, aegrum angor febrisque iterum infestant; sub fine vero morbi, delirium, coma singultusque, cum meteorismo accedunt. Anum spasmus occupat; exemplisque in aliquibus stranguria, Ischuriaque adsunt: motus arteriarum, vitaeque vires nunc deficiunt.

Quum ad extrema ventum est, sudores gelidi, viscidique per corpus erumpunt, membraque frigescunt; in mortis limine, dolores plurimum mitescunt, dejectiones frequentiores, nigrae foetidaeque sunt; quae omnia imperitos saepe spe inani implent, haec nam salutis fugacia signa mortem augurantur; cito enim vultus pallida evadit, summa jactatio molestia, membrorumque subitae con-

tractiones urgent, animique deliquium de medio aegrum tollit.

Quum febrem gravem, jactationes, vigiliasque mente volvamus, mirum est quam raro delirium adsit; sed gangraena invasura saepius occurrere dicitur.

Signa supra memorata, frequentissime morbum invadentem, ingruentem, et desinentem, denuntiant; sed accessio non semper tam facile dignoscitur, morbus enim sine signis inflammationis evidentibus, sed jactatione, et angore potius, quam dolore, in gangraenam saepe desinit. Enteritis tam mite saepe incipit, ut aeger de alvo astricta tantum conqueritur.

Semel atque iterum febris acutus abdominis dolorem excipit.

In aliis exemplis noster morbus Nephritis instar, dolore summo lumbos infestante, aliisque signis incipit; quibus signis notae En-

teritidis propriae succedunt. Nihil in hoc morbo magis suspicari debet, quam subita doloris cessatio ; MORGAGNI clarissimus quam difficile sit hunc morbum dignoscere probe sciens, ex ALBERTINO quaesivit, quibus signis periculum adesse cognosceret; qui respondit, ad pulsum, abdomen, caputque eum referendo. " The pulse in such " cases is slow and rather weak, and, if " closely attended to, slight irregularity will " be detected. The abdomen is tense, hard, " and somewhat painful, and the face, " though varying in different persons, has " an unusual expression; sometimes the " eyes exhibit terror, and at others the cir- " ference of the lips is livid. These, he said, " were the general indications, but occasion- " ally the patient is thirsty, and the appear- " ance of his tongue unnatural."*

Intestinum tenue saepius quam crassum

---

* COOK'S Translation of MORGAGNI.

inflammatione affici videtur, quod ex eo patet, quia dolor circa umbilicum praecipue urget, subter quem intestinum tenue convolutum jacet, ex eo quoque, quia intestinum magnum, cui officium est, faeces aridas recipere, impactas tenere, easque debito tempore reddere, crassius est; praeterea quia intestinum tenue, venenis, medicamentisque e ventriculo delabentibus magis subjicitur. CELSUS, PRINGLE, multique alii, hujus sententiae fautores adsunt. Enteritis praecipue adultos robustos infestat, sed pueritia nequaquam hoc morbo immunis est, qui sexennes, septennesque interdum corripit. Enteritis infantium, si infans e vita statim non tollatur; molestia, doloreve abdominis, dejectionibus frequentibus mucosis, vomitu, et marcore, indies ingravescentibus, dignosci potest.

Omnibus regionibus communis est morbus, praecipue vero eis quibus sunt tempus frigidum coelique vices; saevet magis hieme quam aestate. Nemini cogitanti, quam

miro sensu gaudent intestina, et quam multis funguntur officiis, mirum esse potest, ea tam saepe morbo periculum semper, et saepissime etiam mortem inferente implicari.

DE MORBI TERMINATIONIBUS.

Faustus hujus morbi eventus resolutio est, cum saepissime accidat, ita maxime exoptandus sit.

Remediis ineunte morbo adhibitis, si dolor mitescit, aliaque signa sensim recedunt, praecipue vero si dolor tactu non multo augetur, si alvus naturalis fit, et motus arteriarum, pleniores, et molliores evadunt, si sudor secundum naturam emanat; si urina turbida redditur, tunc felicem eventum expectare debemus. Alius morbi eventus suppuratio est, quae timenda est, si morbusque ad 6tum 8vumque diem ingravescit, periculum fit majus, si aeger primum de angoris febrisque remissione con-

queritur, postea vero dolore saevo, abdominis tumore, rigoribusque cruciatur: ponderis et oppressionis sensus una cum pulsu molli saepe adest; HUNTERUS Cl. infausta signa verbis sequentibus nos docet. "When "the inflammation is moving from the ad-"hesive state, the pain is considerably in-"creased, but when suppuration has taken "place, the pain in some degree subsides." Interdum pus alvo dejicitur, aut in abdomen effunditur, et ascitem purulentum movet, qui subita alvi intumescentiâ, et fluctuatione satis evidente notatur. In utrisque his exemplis hectica fere accidit, et aegrum interimit. In exemplis quam paucissimis, viscera inflammata peritoneo adhaerescunt, et pus forma abscessus externi viam sibi aperit. Enteritis alio modo desinit, Gangraena nempe, quam adesse, dolor subito cessans, pulsus debilissimus, et irregularis, syncope, ischuria, singultusque, et tympanites nos monent. In exemplis infaustissimis, delirium plus minusve urget, stercora atra, foetidaque dejiciuntur. Praeter haec multa alia

memorantur signa, nempe Facies Hippocratica, sudores gelidi, palpitationes, membrorumque subitae contractiones.

Alii comâ, alii spasmis, et mentis alienatione oppressi, doloribusque gravissimis cruciati moriuntur. His signis tamen non omni ex parte fidendum est, nam Morgagni negat doloris cessationem semper praenuncium gangraenae esse, memorat enim gangraenam simul cum dolore ex intestinis vicinis inflammatis exorto, se saepe vidisse; Abercrombie quoque docet, ea signa quae dicuntur gangraenae propria, non necessarie gangraenam indicare, nam exempla vidit, in quibus omnia haec signa leni inflammatione in aliis partibus comitata adfuerunt, aeger tamen sanitatem recuperavit. Interdum intestini portio sphacelo correpta ano dejicitur, aegerque aliquando convalescit. Scirrhus et Carcinoma Enteritidem acutam rarissime sequuntur, saepius tamen aetate provecta quam juvenili.

DE CADAVERE SECTO.

In hoc morbo, inciso abdomine foetor peculiaris uti Morgagni memoratur sentiri potest. In omnibus exemplis, inflammatio intestina occupat, membranam serosam praecipue ; vasaque serpentia infra tunicam exteriorem intestini, sanguinis ruberrimi majorem copiam continent; saepissime viscera, effusa lympha, inter se adhaerescunt, aut aliquando quasi vinculo lymphae coactae partibus vicinis nectantur. Membrana mucosa vasis innumeris rubet, locisque nonnullis sanguis e vasis circumfunditur; Baillie lympham e tunica villosa effusam esse affirmat. Nulla interdum gangraena videtur, interdum magnam intestini partem occupat; pars sphacelo correpta, livida est, et non solum ejus aspectus, sed natura mutatur ita ut tactu levissimo dissociatur, sicque aër evolvitur. Juxta partes affectas, intestini quaedem pars integra quidem sed contracta sae-

pissime reperitur. Varia alia vitia subinde conspiciuntur, interdum intussusceptio adest, et in nonnullis exemplis quidem sine inflammatione. Intestinorum tunicae aliquando densantur, et quaedem intestinorum plicae ita partibus vicinis implicantur, ut herniae speciem exhibeant. Nonnunquam ulcera intestina occupant, et in morbo graviore intestinum ulceratione eroditur, et faeces saepe in abdomen elabuntur. Non desunt exempla in quibus tubercula peritonaeum occupant, sed haec potius videntur esse causae praedisponentes, quam effectus hujus morbi, et fortasse ex habitu strumoso pendent.

CAUSÆ.

Nunc pauca de causis dicamus ; inter causas quae corpus huic morbo obnoxium reddunt, enumerantur ; irritabilitas intestinorum congenita, cuncta vitia partium organica, obstipatio, purgantia acriora. Tempera-

mentum sanguineum, anni tempus, coelum frigidum, cibus plenus, potiones meraciores, pigritia, et plethora, inter causas quoque predisponentes recensentur.

CAUSÆ EXCITANTES.

Multæ causae Enteritidem excitare dicuntur, frequentissimae videntur esse, obstipatio, variaque intestinorum vitia, quae alvum astrictam tenent; vermes quoque, bilis, et varia ingesta acria; hernia strangulata, intus-susceptio, colica, interdumque dysenteria hunc morbum excitant: Podagra, Erysipelas, Rheumatismus, Eruptionesque longe interdum ex partibus exterioribus in intestina incidunt, et sic subsequitur Enteritis. Exempla multa sunt, in quibus frigus humore conjunctum cito aut per diuturnum tempus, abdomini partibusque extremis admotum morbum excitavit.

DE DIAGNOSI.

Morbus cum quo Enteritis facilius confundi potest, colica est, et quanquam non multum refert colicam pro Enteritide tractare, tamen error contrarius periculo plenus est nam in colica stimulantia multum prosunt, in Enteritide vero omnino fugienda sunt. In colico pulsus arteriarum mollis, et fere secundum naturam est, intermittitur dolor subinde, sedemque fixam nullam tenet, tactuque non ingravescit, sed etiam tactu levatur. In Enteritide vero dolor fere semper tactu plurimum augetur, pulsus quoque concitantur, et digito prementi sensum chordae dant. Hi duo morbi simul existere possunt saepe enim in Enteritidem desinit colica ; prudentiae igitur esset, si dolor acutus sit, et aeger paulum tantum febricitet, eadem remedia ac in Enteritide adhibere. Magni interest inter Enteritidis species binas dignoscere ; in Enteritide Erythema-

tica multo obscurior aggressus, febrisque sunt, abdominisque dolor mitior est, arteriarum pulsus parum concitantur, dolor non tantum diffunditur, et saepe remittit, praecipueque purgantibus intenditur, saepe adest Diarrhoea, rarius vero vomitus. Sed in Enteritide phlegmonodoea, dolor, febrisque plurimum urgent, pulsus concitatur; diarrhoea non nisi morbo decedente occurrit, sed e contrario alvus pertinaciter constringitur.

A PERITONITIDE.

Inter peritonitidem et Enteritidem saepe difficile est dignoscere, quia saepe simul existunt, sed in priore, vomitus, alvusque astricta minus urgent, agerque soluta alvo non tam multo levari solet. Sed inter haec mala dignoscere, non multum refert, ut eadem medendi ratio utrisque communis est.

A GASTRITIDE.

Gastritis a nostro morbo, sequentibus signis dignosci potest; in Gastritide enim dolor urens, et epigastrii tensio sedem magis fixam habent, praeterea res ventriculo ingestae dolorem intendunt, protinusque vomitu rejiciuntur; delirium plus urget, morbusque cursum celerius absolvitur.

A NEPHRITIDE.

A Nephritide, Enteritis frequenti mingendi cupiditate, femoris torpore, et dolore, et testibus retractis dignosci potest.

DE PROGNOSI.

In Prognosi adhibenda, multum refert, ut tempus quo perseveraverit morbus cognoscamus, ut habitum corporis perscrutemur, et ut ejus causas perpensas habeamus. Febris ardens, dolor acutus, vomitus urgens, insomnia, artuum contractiones, tremores, delirium, sudores gelidi, &c. periculum summum praesagiunt. Quando vero Febris lenis tantum adest, dolor remediis aliquantulum cedit, vomitus non multum intenditur, praecipue si plenior, et tardior fit, et levis subinde obrepit somnus, et omnia signa mitiora evadunt, tunc faustus eventus expectandus est.

DE MEDENDI RATIONE.

In hoc morbo medendo, pauca de eis quae ad causas excitantes removendas conferunt, nunc dicemus. Si venena, aliaque ingesta acria morbum moverint, eis uti debemus, quae usus nos docuit, habere vim propriam ea corrigendi, et demulcentia adhibenda sunt. Hernia strangulata statim reducenda est. In Enteritide nullum remedium missione sanguinis plus valet. Sanguis pleno rivo detrahendus est. Armstrong multa exempla videns, in quibus sanguis parce, sed sine ullo commodo saepe detractus fuerat, hanc medendi rationem omnino rejicit, et sanguinem pleno rivo semper detrahendum esse putavit, quam quidem sententiam verbis sequentibus exprimit.

"It has been customary with me, for
" some time, to wait half an hour, or even
" longer, with the patient after the opera-

"tion (V. S.) to see its full effect, not only "upon the pulse, but upon the local affec-"tion and the general habit. If, in that "short period, I could not perceive a mani-"fest change for the better, I have generally "advised the arm to be rebound, and per-"mitted the blood again to flow, until the "pulse fluttered beneath the finger from "approaching faintness."*

Sanguine ut supra memoravi misso, Armstrong docet, vix unquam saepius quam bis, se venam incidisse, aut majorem sanguinis copiam quam uncias quadraginta detraxisse in quavis inflammatione, si aegro ab initio administraverat. Plurimi medici sanguinem magnâ copiâ detractum multum prodesse nos monent. Doctor vero Parr contrariam sententiam tradit.

"Perhaps bleeding is more seldom ne-"cessary in this disease than other inflam-

* Armstrong on Typhus Fever, 1819.

"mation, for it rapidly tends to mortifica-
"tion, and, should it not at once relieve, it
"soon proves fatal."*

Sed quum inflammationis vehementia gangraenam excitat, inflammationem sanguinis missione debellando, optime gangraenam praecavebimus. Hoc vero remedio validissimo abutamur, nimiam sanguinis copiam uno tempore abstrahendo; nam ita aegri vires franguntur, ut difficile recuperari possint. Sanguis per hirundines, et cucurbitulas cruentas, detrahi potest, haecque plurimum prosunt, si inflammatio, sanguinis missione aliquantulum subacta fuerat, et aeger de debilitate plurimum conqueritur, nam e vasis minoribus sanguine lente elicito, cursus sanguinis generalis non tantum afficeretur, ac si vena ferro incisa fuerat.

Cucurbitulae sine ferro a multis laudantur, sed parum juvant. Post sanguinis mis-

---

* Parr's Medical Dictionary.

sionem, emplastra vesicatoria, partibus abdominis admota plurimum valent. Nonnullis placet purgantia morbi initio adhibere, sed haec sententia mihi inutilis et etiam periculosa videtur, nam cum alvus astricta ex inflammatione pendeat, laxantia supervacua sunt, nisi tollatur inflammatio, praeterea purgantia, irritationem summam excitant; sed morbo remediis idoneis multum minuto, ad ea quae alvum laxant confugere debemus. Oleum Ricini, Tinct. Sennae commistum, Pulv. Aloës cum Calomelane, aut Sulph. Magnesiae aqua Menth. pp. solutus optima reperiuntur esse remedia : Decoctum Sennae cum Tarmarindis a GREGORY laudatur. Enemata, sive laxantia, sive emollientia, purgantia multum adjuvant. Enemata ex Fol. Nicot. Tabaci, praestantissima sunt, alvum enim non solum laxant, sed spasmos quoque solvunt, sicque non parum conferunt ad inflammationem minuendam. Proferuntur exempla, in quibus aquae calidae sextarii quinque per anum injecti, alvum saepis-

sime solvebant. Oleum Ricini, et Oleum Terebinth. diligenter abdomini infricata, ad alvum laxandam, contulisse videntur.

Alii argentum vivum, ita adhibitum, ut viam sibi per intestina aperiret, multum laudant, sed remedium valde inutile, periculoque plenum reperitur. Hydrargyri submurias opio conjunctus a medicis multis adhibetur, qui vomitum sedare, et sudorem elicere dicitur. Prodesse dicitur opium, vomitum cohibendo, spasmorum vincula solvendo, aegrisque vigiliis confectis, soporem conciliando; si ore redditur, enematis forma adhiberi debet; balneum calidum, aut fomenta, nequaquam negligenda sunt, nam aegri cruciatum multum levant. Lintea aqua algida madefacta, abdomini admoveri debent; aquae frigidae enemata a quibusdam plurimum laudantur; his enim saepe molestus lenitur ardor, et pulsus plenior evadit. Remittente dolore, pulsu tamen adhuc celeriter micante, digitalis pul-

veris granum unum saepe indies dare convenit.

Quum signa Gangraenae adventum indicant, vino, cinchona, aliisque hujusmodi remediis potissimum fidendum. In impuberibus eadem ac in adultis remedia adhibenda sunt; infantibus tamen evacuationes magnae inimicae sunt.

Quum aeger tarde convalescit, facillimeque in morbum incidit, alvum laxissimam tenere, et diaetâ utatur tenui; vestemqua laneam induere debet.

FINIS.